DE

# FEBRI TYPHOSA.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM
VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE ADIPISCENDOS
UNA CUM THESIBUS
PUBLICE DEFENDET
DIE XX. M. IANUARII A. MDCCCLXVI. HORA XI.

AUCTOR
AUGUSTUS THEODORUS KIRCHHEIM
SAXO - BORUSSUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:
E. ANNUSKE, DD.
A. BRANDIS, CAND. MED.

HALIS SAXONUM,
FORMIS ORPHANOTROPHEI.

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

OFFERT

FILIUS.

# DE FEBRI TYPHOSA.

Quamquam eae aegrotationes, quae in universum sub nomine typhi comprehenduntur, iam antiquitus et cognitae fuerunt et curationem medicam expertae, tamen sententiae de natura huius morbi, de causa, curatione etc. etiamnunc late divergunt. Sane quidem recentiore tempore ad unum omnes desierunt id solum typhi nomine appellare, quod Hippocrates et eius aequales sub illo intelligebant, stuporem aut mentis obtusitatem. Sed tamen discrepantia in doctrina de typho nondum omnis sublata est. Recenti tempore duae potissimum factiones exstiterunt, quae typhi nomen duobus modis prorsum differentibus ac probe distinendis de phaenomenis pathologicis usurpant. Alterius ex sententia typhi denominatio idem

significat quod status typhosus aut nervosus, atque status illa comprehenduntur ii, in quibus cum magna virium depressione siccitas linguae, stupor, deliria exstant. Verum in universum haec sententia hodie destituta est, atque haud scio an iure, quum eadem penitus phaenomena in aliis quoque diversis aegrotationibus obveniant, ut in scarlatina, pneumonia, pyaemia, aliis, quae ipsae nunc status typhosi denominatione significantur. Typhum autem nunc appellamus singularem speciem processuum pathologicorum, sive manifesta symptomata adynamica et cerebralia eorum decursum comitentur sive absint; ac prout hae morbi formae, plerisque relationibus inter se admodum similes, etiamsi non eaedem, sub conditionibus infra subtilius exponendis decurrunt, hodie plerumque principales formae distinguuntur:

1) Typhus abdominalis sive Ileotyphus,

2) Typhus exanthematicus,

3) Typhoidea quae nominantur.

Postquam primum internum connexum quo coniunctae sunt hae tres aegrotationum species, internamque similitudinem processuum in iis obvenientium demonstravimus, atque ita de earum complexione in unum genus aegrotationum analogarum iustam rationem dedimus, sin-

gulariter de typho abdominali, utpote specie apud nos frequentissima, uberius agemus.

Quod attinet ad aetiologiam, communis natura omnium aegrotationum typhosarum in eo posita est, quod cunctae sunt morbi infectorii, aut contagiosis aut miasmaticis causis oriundi. In causa esse influxus nocivos specificos, non universales, inde satis liquere videtur, quod typhus diversis in terris diversa symptomata exhibet, multum igitur ad eum valent climatis, alimentorum, occupationum, vestitus etc. rationes, porro quod epidemiae typhosae pariter subito existunt atque exstinguuntur, nulla e relationibus externis causa eius rei demonstrabili.

Quibus sub conditionibus materiae miasmaticae nascantur, et qua ratione corpus iis corripiatur, hac de quaestione nihil adhuc certi cognitum est; non solas esse materias aeriformes et per aerem efficaces, id hinc videtur certo colligi posse, quod homines, qui de eadem corrupta carne vel aqua sumserunt, eadem typhi specie aegrotare coeperunt. Causae aut materiae nocentes semper ex praesentia substantiarum in putida corruptione versantium derivandae sunt. Miasma et contagium typhosum non diversa videntur, quantum ex eorum effectibus, qui quidem semper sunt iidem, cognosci potest. Quod attinet

ad mutationes pathologico-anatomicas, contendi non potest, ubique in typhicis certas mutationes pathologicas necessario obvenire; sunt enim aegroti, qui moriuntur in nullo organo mutatione notabili facta, ut morbi mortisque causa solummodo in sanguinis intoxicatione et febri inde oriunda, in mala nutritione vel aliqua turbatione systematis cerebralis atque nervosi sit quaerenda. Saepius tamen palpabiles immutationes pathologicae exstant, ac potissimum in cute, mucosa bronchiali vel intestinali, liene. Eae immutationes partim catarrhi soli sunt et status congestivi, partim sui generis exsudationes vel infiltrationes. Secundum diversitatem harum affectionum localium typhi species disponendae sunt.

Quod attinet ad symptomata, haec morborum typhosorum sunt propria. Primum locum turbationes in functionibus cerebri et nervorum occupant, quae ad rationes anatomicas referri hodie nondum potuerunt. Eae turbationes, quae pariter sola caducitate et musculorum adynamia manifestantur, ac vertigine, mentis obtusitate, stupore, deliriis, adiunctis aliis phaenomenis aut irritationem aut depressionem arguentibus, mortem brevissimo tempore trahere possunt, etiam ante quam aliqua phaenomena localia provenerunt. Proprius porro respectu symptomatum diversarum typhi formarum est decursus in universum cyclicus, praecipue in phaenomenis febrilibus

conspicuus. Porro characterem huius morbi sistit inclinatio cutis ad aegrotandum sub forma exanthematis roseolae. Nulla est typhi forma, in qua hoc non possit exsistere; visum est in omnibus formis, sane quidem in alia pariter rarum, ac frequens in aliis, praecipue typhi exanthematosi formis obvenit.

Denique si quaeritur, varia venena typhosa sint eiusdem naturae necne, diversa esse satis certo comprobatur eo, quod ileotyphus semper ileotyphum contactu aegroti in aliis generat, et vice versa typhus exanthematosus ileotyphum nunquam gignit.

Typhus abdominalis hodie haud dubie inter vulgatissimos morbos acutos habetur; principalem typhi formam sistit in universa Europa media continentali et boreali, minime rarus obvenit in Italia superiore mediaque, in Hispania terrisque sub eadem latitudine iacentibus. Saepius pronuntiata est haec opinio, illam typhi formam novum esse morbum novissimi saeculi proprium; verum satis refutata iam eo videtur, quod iam Morgagni eandem typhi formam subtiliter descripsit. Causa, ob quam haec forma superioribus temporibus minus innotuerit, in eo videtur posita esse, quod tunc cadaverum dissectiones raro fiebant, atque quod tempore bellorum francogallicorum Europam turbantium typhus exanthematosus domina-

batur, et typhus intestinalis demum finitis miseriis bellicis locum typhi exanthematosi rursum occupavit. Nonnullis in terris, ut in Britannia, ambae typhi formae semper simul exstant, quae societas apud nos in universum rara est. Epidemiae exanthematosae rarae fuerunt, sed, ubi provonerunt, ut in Silesia, tanto perniciosiores.

Causae ileotyphi multae recenseri possunt, quamquam non semper contingit, ut ex ipsis aegrotis discantur. Quae certa ea de re habemus haec sunt. Ileotyphus translatione veneni ex aegroto in alium hominem generatur, cuius rei certo sunt testimonio copiosae aegrotationes eorum qui cum ileotyphicis contactum commeatumque habuerunt. Pariter affatim comprobatum est hunc morbum in omni gradu decursus sui effica contagium habuere. Gietl existimat contagium faecibus et mortificatis cutis locis potissimum inhaerere, et morbum etiam ab aegrotis febri quidem vacantibus, sed gravi diarrhoea affectis propagari posse. Eam ob causam in uno quoque casu typhi, praecipue in nosocomiis, ubi complures aegroti in eodem conclavi iacent, curandum est, ut faeces continuo efferantur, aegroti diligentissime depurgentur, conclavia certis temporibus ventilentur, quia aere corrupto, sordibus, illuvie illud contagium fortius et malignius redditur.

Gravissimum momentum in generatione veneni typhosi habet dissolutio substantiarum animalium et immixtio materiarum ea dissolutione ortarum in cibos et potiones vel in aerem respirandum. Ita observatur, ut iam supra memoratum, homines, qui de eadem corrupta carne comederunt vel ex eodem puteo iuxta latrinam sito biberunt, aequaliter typho corripi. Inde fit, ut typhus in magnis urbibus, ubi latrinae fere nunquam satis mature evacuantur, eamque ob causam solum impletum est substantiis in dissolutione versantibus, ut est Monachii, Parisiis, nunquam penitus extinguatur. Boussingault in aere Parisiensi habita ratione aeris ruralis tantam copiam ammoniaci reperit, ut eum cum exhalatione immensi acervi laetaminis compararit. Porro non potest non cerni, anni tempora quoque in proventum et diffusionem typhi momentum habere. Bartleff autor est, in universum numerum longe maximum, praecipue etiam epidemicarum diffusionum, in autumnum cadere, proximam frequentiam tum in hiemem tum in aestatem, liberrimum in universum ver esse.

Diversa est in diversis hominibus facilitas recipiendi veneni typhosi. Disquisitiones statisticae edocuerunt, infantes nondum mamma desuetos, senes, puerperas, cachecticos, tuberculosos, gangraenosos raro typho corripi, contra et mares et feminas validissimam aetatem agentes

prae ceteris eum nancisci. Memorabile porro est, quod homines qui dudum habitant ubi typhus nunquam prorsus exstinguitur, ut est Monachii, grassante epidemia in minore periculo versantur, quam ii qui modo eodem venerunt, unde veri est simile, corpus ad venenum typhosum quodam modo assuescere posse. Raro denique observatum est eundem hominem plures typhos superasse; plerumque morbo semel superato dispositio ad recipiendum venenum typhicum exstinguitur.

# REPERTA ANATOMICA.

Ad exemplum, quod Hamoenyus primus dedit, hodie, ubi de necroscopia sermo est, duae periodi ab omnibus distinguuntur, habita ratione, utrum aegrotus inter primum processum typhi, antequam eius decursus peractus sit, obierit, an mors serius, decursu morbi prorsum absoluto et anamorphosi incepta successerit.

In cadaveribus hominum primis hebdomadibus mortuorum primum manifesta rigiditas cadaverosa animadvertitur. Corpus plerumque adhuc bene nutritum est, color cutis pullus, praecipue maculae cadaverosae singularem quandam obscuriorem tincturam exhibent; idem in mus-

culis apparet, cuius rei causam esse in sanguinis inspissatione, facta copiosis sudoribus aquosisque defaecationibus, humorum iactura non aequaliter reparata, veri speciem habet. In corde non semper conspicua est immutatio, neque in hepate, nisi quod hoc saepius eximie laxum et exsangue reperitur. Manifestiores in liene immutationes observantur. Is semper normali multo maior est, saepe triplo ac sexuplo; tunicae valde intensae; parenchyma colore profunde pullo, emollitum, saepe ad instar pultis diffluens. Tunicae mucosae viarum respiratoriarum catarrhis diversissimorum graduum a simplici hyperaemia usque ad ulcerationem distantibus, affectae reperiuntur, bronchia saepe spissis massis mucoso-purulentis impleta sunt, pulmo in facie incisionis manifesta puncta sanginea exhibet, in portionibus inferioribus declivibus saepe hypostases, sparsi loci atelectatici apparent. Quod attinet ad graviores immutationes in intestino tenui obvenientes, lectores ad ea, quae Rokitansky et Niemeyer de hac materia subtiliter elaboraverunt, delegantes hoc loco manifestissima tantum phaenomena recensebimus. Primo stadio congestionis mucosa intestini tenuis sedes est copiosissimae hyperaemiae venosae. Ipsa apparet intumefacta, laxata, turbida, muco massisque epithelialibus obsita. Glandulae mesenteriales sunt modice tumefactae, molles, hyperaemicae, pullo colore. Secundo stadio typhosae infiltrationis universalis rubefactio tumefactioque mucosae

decrescunt, et circum glandulas solitarias et Peyeri in inferiorem partem ilei contrahuntur; glandulae solitariae ita intumescunt, ut ex superficie mucosae usque ad lineam ac sesquilineam promineant; magnitudo earum varia est inde a grano milii usque ad pisum. Acervi glandularum Peyeri contra „plaques" formant a magnitudine grossi argentei usque ad imperialem variantes, et prope valvulam Bauhini confluere solent. In tertio stadio, quod Rose stadium relaxationis, emollitionis et detritionis nuncupat, integumentum folliculorum in crustam siccam, fragilem transmutatur, vel folliculi dirumpuntur integumento non crustaceo, quo facto extrorsum evacuantur. Glandulae mesenteriales hac periodo plurimum tumefactae sunt. In quarto stadio ulcus quod nuncupatur typhosum nascitur Admodum variae declinationes sunt aegrotationis intestinorum; saepius paucae tantum glandulae laborant, saepe universum intestinum correptum est. Si aegrotus seriore tempore moritur, phaenomena in cadavere ab illis longe diversa observantur.

Corpus plerumque admodum macilentum est, cutis pallida, musculi laxi, rigiditas cadaverosa exigua. In extremitatibus oedema est, in cute aegrotationes admodum variae observantur. Organa interna, cor, pulmo, pallida, laxa esse solent, in pulmone pneumoniae sedent. In larynge ulcera, saepius usque ad perichondrium pertinen-

tia, reperiuntur. Lienis tumiditas hac periodo decrescit. Ulcera typhosa aut sanantur cicatricibus nullis residuis, aut in exulcerationem transeuntia haemorrhagiarum intestinalium et perforationum causae exsistunt.

---

## SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Manifesto initio morbi iam per longius tempus incommoda quaedam antecedere solent. Aegroti sunt eximie flacci et caduci, noctes insomnes et somniis turbati degunt, queruntur de capitis dolore, vertigine, doloribus vagantibus, ciborum fastidio, taetro sapore, dyspepsia. Saepe eruptioni morbi profusae haemorrhagiae per nares antecedunt. Post haec symptomata morbus plerumque ab uno pluribusve frigoribus quassantibus intrat, quae quidem non sunt tam valida quam in pneumonia vel in febri intermittente. Tum vires aegroti cito imminui solent; de capitis dolore queritur, de oculorum scintillationibus, aurium susurris; iam noctes levibus deliriis turbantur. Interdiu aegroti

adhuc mentis prorsum compotes sunt, sed iam incuria et defectus alacritatis animi apparent. Praecipue de dolore frontali et membrorum hoc tempore aegroti queruntur; sapor est pultaceus, ventriculus tam fastidiosus, ut aegroti, quod illum cibo nimio onerasse sibi videantur, emetica expostulent. Alvus interdum diarrhoica est, sed plerumque primis diebus retenta; defaecationes doloribus colicis semper liberae sunt. Levis catarrhus bronchialis ut plurimum adest. Hoc tempore species aegroti iam mutata apparet. Facies recubantis in lecto rubefacta est, extra lectum versantis pallida et miserabilis; etiam lingua obtecta est, angusta et acuta; tenue integumentum epitheliale plerumque brevi tempore detrusum linguam relinquit, secundum praeclaram Vogelii descriptionem, humidam, laevem, veluti tenuissima membranula (qualibus utuntur qui aurum in lamellus expandunt) obductam, aut iam ad siccitatem inclinantem. Abdomen hoc tempore plerumque iam sufflatum est et dolens, strepitus ileocoecalis auditur, lien iam circuitu auctus, in abdomine et pectore sub octavum diem etiam roseolae iam proveniunt.

Temperatura corporis praeter levem remissionem matutinam $40^0$ vel $40^0,5$ habet; frequentia pulsus a nonagenis ictibus ad centenos et vicenos variat; pulsus dicroticus est.

Initio secundae hebdomadis aegroti minus de doloribus queruntur; contra plerumque ex catarrho tubae Eustachii audiendi difficultas oboritur. Aegroti nihil curantes in lecto cubant, vultus stupidos ostendunt, interrogati haud facile respondent, neque facilius commoventur ut linguam exserant, quam semel exsertam non retrahunt nisi saepius moniti; potionem non poscunt, porrectam tamen avide exhauriunt. Urinam et faeces inscii demittunt; aegroti alioquin parum verecundi denudando corpus incuriam rerum externarum arguunt, cum eo modo, quo ceterum se gerunt, secum loquendo, clamitando, stragulas vestes proiiciendo, exirascendo si quis eos verbis mitigare tentat, aliisque rebus documenta dent vitae nervosae agitatae. Hoc tempore, altera hebdomade, etiam defaecationes illae typho propriae accedunt, colore et specie fluidae pisorum pulti male coctae similes, quae uno die vel vicies redire possunt. Iam species aegrotorum graviter immutata est; genarum color aliquantum coerulescit, oculi sunt semiclausi, os, lingua, gingivae indumento tenace subfusco obtecta sunt, ex ore foedus odor exhalatur, manducare aegrotus non iam potest, potionis deglutitio admodum difficilis est. Exploratione physicali in declivibus pulmonum portionibus condensationes exstare probari potest; inter auscultationem ad dorsum obscura respiratio et strepitationes vesicales subtiles audiuntur. Abdomen plerumque adhuc tumefactum est et dolens, lien maior atque intesti-

nis enormi gasorum quantitate distentis retrorsum et sursum pulsus. Temperatura praeter levem remissionem matutinam 40°,5 vel 41°,5 habet. Pulsus dicroticus inter ictus denos et vicenos secundae centuriae variat.

Tertia hebdomade caducitas plerumque ad summum fastigium pervenit; musculi sunt prorsum relaxati, membra in eo situ, in quo posita sunt, permanent, aut legem gravitatis sequentia faciunt, ut aegrotus usque longius extremitatem pedalem versus in lecto delabatur. Frequentia pulsus et respirationis adhuc augetur, cum lienis tumiditas decrescere incipiat; pariter roseolae evanescere incipiunt. Indumentum linguae fit magis corticosum, crassius, foetidius, lingua obscura. Eodem tempore saepe etiam decubitus accedit. Si morbus exitum letalem habet, decubitus plerumque circum hoc tempus exsistit, ac nisi singulares casus intercedunt, mors obvenit, postquam adynamia, febris, temperatura, pulsus frequentia ad summum fastigium pervenerunt, inter symptomata oedematis pulmonum. In casibus fauste decurrentibus circiter alterum dimidium tertiae hebdomadis res ad melius vergit. Status stuporis et deliriorum quieto et sano somno cedere, aegroti quae circum sunt curare incipiunt; urinam et faeces non iam incaute demittunt, apta vasa potius postulant, motus respiratorii liberiores fiunt, massae muci eiiciuntur, defaecationes rariores et solidiores fiunt, species sufflata cedit pallori, lingua

a cuspide et a marginibus humescere incipit, indumentum crustaceum in laciniis decidere. Hoc tempore lien manifesto fit minor; temperatura decidit, vespertinis tamen horis $40^0$—$41^0$ obtinet, matutinis non plus $38^0$ habet. Inde revalescendi tempus incipit; attamen febri et morte saepius nunc quoque intercedente indicatur morbum nondum penitus exstinctum esse. Cibi appetentia hac periodo plerumque usque ad bulimum increscit.

## THERAPIA.

Prophylaxis in urbibus maioribus, ubi epidemiae typhosae frequentissimae exsistunt et saevissime grassantur, postulat, ut omnes causae, quae generationi et diffusioni veneni typhosi favent, tollantur, itaque summa puritas procuretur; si typhus iam erupit, correpti segregentur et caveatur, ne cum ullo praeter necessarios custodes commercium habeant. Remedium specificum contra typhum non habetur, at vero effici potest, ut singulis maioribus dosibus calomelanos porrectis decursus morbi abbrevietur et mitigetur. Indicata autem haec curatio initio morbi non est, nisi aegrotus obstructione, abdomine sufflato et dolente, crebris vomitibus, occupato capite et dyspnoea

laborat. Si res ita est, nonnullae doses calomelanos a 5 ad 10 gr. saepe mirum effectum habent, ut morbus etiam sine ulla alia medicina continuo sanari incipiat. Curatio typhi nunc in universum symptomatica est. Curatur ut nocivi influxus ab aegroto defendantur, periculosa symptomata oppugnentur, et vires aegroti, quantum eius fieri possit, conserventur. Inprimis aere puro opus est. Deferatur igitur aegrotus in conclave spatiosum, quod facile ventilari possit, in quo temperatura 12° — 15° R. conservetur. Attendatur etiam in cubile, procuretur ut semper sit purum et laeve, quum immunditia et asperitates, plicae decubitui faveant. Quoties aegrotus se inquinaverit, purgetur, singulari diligentia in anum, nates, regionem ossis coccygis conversa. Si aegrotus ipse os sibi purgare non potest, id faciat custos linteo aqua frigida pura, vel qua est solutum natron bicarbonicum humectato. Aegroto poscenti aqua porrigatur; si adest diarrhoea, aliquantum mucilaginis avenae vel hordei addatur. Neve recusentur cibi faciles, imo ultro offerantur, nisi singulares relationes id dissuadent; aptissime praebentur ova, lactea, iuscula de elixa carne. Alimentis optime cavetur matura caducitas. In typho prorsus benigne decurrente ad servandam vitam medicina nihil opus est; contra febrem autem, si qua adest, remedia refrigerantia quietantia propinari possunt, acidum muriaticum vel phosphoricum; inter remedia externa commendanda sunt cataplasmata gelida,

lotiones et infusiones. Iuxta phaenomena febrilia turbationes in respiratione, catarrhi bronchiales, hypostases et collapsus maximum periculum minantur. Remedia contra haec usitatissima sunt locales sanguinis detractiones, fomentationes, sinapismi, ipecacuanha et infusum senegae cum liqu. amm. anis. Ut apostases defendantur, cavendnm est ne aegrotus semper resupinus iaceat; contra narium haemorrhagias usitatissima styptica in usum vocentur; vel si haec spem fallant, tamponata fiat. Ad cavendum decubitum imprimis munditia opus est. Si primi eius praenuntii apparent, aegrotus optime ponetur in pulvinari aerophoro, loci affecti adstringentibus lavabuntur; contra decubitum praesentem unguenta de zinco, solutiones argenti nitrici commendantur. De phaenomenis in intestino provenientibus in historia morbi iam adnectenda exponetur. Si omnia remedia antea proposita facere non possunt, ne vires aegroti indies collabantur, audenter ei porrigantur gravia vina, Materiense, Calense, fortes cerevisiae, sine ullo metu, ne praesens febris augeatur. Inter revalescentiam porrigantur cibi alebres, leves, et quidem saepius quotidie minoribus in quantitatibus; graviores et qui copiosas faeces generent evitentur, quia facile possunt ulcera intestinalia iam in sanatione versantia laedere, atque eo haemorrhagiarum et perforationum causae exsistere.

Ad finem historiam morbi enarrabimus, quam humanitati Ill. Weber debemus. Is casus in perforationem leta-

lem exit, atque ex eodem apta therapia cognoscitur. Memorabile simul est, quod venenum typhosum aut recta translatum fuit, aut postquam in corpore fratris ex agnationis relationibus dependens ortum est, prorsus eadem phaenomena excitavit.

---

## MORBI HISTORIA.

O. inter leviorem epidemiam typhi casuumque typhoideorum aegrotare coepit. Symptomata erant haud gravia, flaccitas, levis capitis dolor, membra diverberata, taedium laboris, caput occupatum, phaenomena vertiginis admodum modica, defectus appetentiae cibi, aliquantum fastidii dyspeptici, exigua alvi obstructio. Adhibito emetico symptomata aliquantulum increverunt eo, ut aegrotus, postquam per hebdomadem misere se in pedibus continuerat, cogeretur in lecto cubare. Accessit febris cum temperatura 31 ⁰ R. Pulsus modice frequens erat, lingua modice sicca, abdomen leviter inflatum; pariter defaecationes modice numerosae. Haec symptomata cuncta me-

tum nullum excitabant. Tum subito haemorrhagia intestinali oborta aegrotus fere prorsum mentis compos evasit, temperatura paululum descendit. Haemorrhagiae mixturis aluminatis et glacie applicata inhibitae sunt. Vigesimo morbi die status aegroti exacerbatus est; symptomata perforationis oborta sunt, tendinum saltatio, facies collapsa, pulsus parvus admodum frequens, deliria, abdomen inflatum; exsudatum peritoniticum exstare cognosci potuit. Biduo post mors secuta est. Frater defuncti qui inter morbi tempus eum aliquoties viserat, aliquot diebus post iisdem incommodis se affectum sensit; flaccus amisso cibi appetitu cum per quinque dies corpus extra lectum traxisset, pariter cum phaenomenis modici typhi decubuit. Symptomata cerebralia erant exigua: somnia, phantasiae modicae, aurium susurri, audiendi difficultas, omnia pariter levia. Phaenomena febrilia in altitudinem normalis typhi adscenderunt. Temperatura vesperi circiter 32 $^{0}$ R. habebat. Pulsus inter nonagenos et centenos denos ictus variabat. Diaeta satis exilis ordinata est; praeter lac et mucilaginem avenae nihil permissum. Etiam phaenomena intestinalia levia tantum erant; defaecationes circiter sex quotidianae fiebant, abdomine modice inflato. Sub finem tertiae hebdomadis pariter modicae haemorrhagiae intestinales ortae, eodem modo quo in superiore casu inhibitae sunt. Quo facto, cum aegrotus tam salvus sibi videretur, ut e lecto resurgere vellet,

quod tamen non concessum est, inter subitum motum in lecto acer dolor in sinistra parte abdominis et symptomata acutissimae peritonitidis oborta sunt, ut de facta perforatione non iam dubitari posset. Post triduum mors secuta est.

Cadaveris dissectio demonstravit ulcera iam expurgata in processu sanationis versata esse; multa usque ad tunicam muscularem intestini progressa erant, in uno locus perforatus repertus est magnitndine maiusculi capituli acus. Lien adhuc aliquanto maior erat normali, capsula corrugata; in pulmone ceterum normali aliquot hypostases exstabant.

# VITA.

Natus sum Theodorus Kirchheim in vico Cobbel die XIII. mens. Jun. a. h. s. XXXIX patre Ludovico, matre Mathildi e gente Krepper, quos ut in posterum deus servet, precor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis literarum elementis imbutus gymnasium cathedrale Magdeburgense adii, unde per octo annos et dimidium commoratus maturitatis testimonio instructus Gryphiam me contuli, nomen professus sum medicinae studiosi apud Ill. Haeser, illius temporis decanum spect. Scholis interfui hisce per semestria quatuor. Ill. George de logice. Ill. Iessen de botanice atque de scientia ceterarum rerum naturalium. Ill. Limpricht de chemia. Ill. Rudge de physiologia, de

anatomia corporis humani et de arte cadavera rite dissecandi. Ill. Haeser de historis medicinae. Anno h. s. LXII universitatem Berolinensem petii, ubi per semestre unum scholae interfui Ill. Dove de physice.

Deinde Halas me contuli atque inter cives universitatis literarum Fridericianae ab. Ill. Volkmann tunc rectore magnifico et ab. Ill. Blasius, gratiosi medicorum ordinis decano amplissimo receptus hisce interfui scholis. Ill. Blasius de akurgia. Cel. Colberg de anatomia microscopico-pathologica. Scholis clinicis hisce interfui: chirurgico-ophthalmiatricis Ill. Blasius; medicis Ill. Weber, obstetriciis Ill. Olshausen; operationes chirurgicas Ill. Volkmann, obstetricias Cel. Franke: artem fascias rite applicandi Ill. Blasius me docuerunt. Quibus omnibus viris optime de me meritis summas habeo semperque habebo gratias. Iam vero tentaminibus physico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

# THESES.

I.

In syphili secundaria sananda optimum remedium mercurius.

II.

Specifica contra epilepsiam non sunt.

III.

In gonorrhea incipiente iniectiones plane reiiciendae sunt.